

Quaestio medica, eaque therapeutica, : pro baccalaureatu, : discutienda, in alma Monspeliensium Medicorum Academia. Ab horâ 8. ad merid. Die Februarii 1713. / Preside R. D. D. Petro Rideux ... ; sub hac verborum serie, ; An victus ratione praepediri possit generatio calculi. ; Quam propugnabit pro primâ apollinari Laurê in augustissimo Monspeliensis Apollinis fano honoratus Perrin Carcensis.

Contributors

Rideux, Pierre, 1674-1750.
Perrin, active 1713.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeli : Apud Honoratum Pech, Regis, universitatis, cleri & urbis, thypographum, 1713.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gdzbuyjm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16
QUÆSTIO MEDICA

EAQUE THERAPEUTICA, PRO
ACCALAUREATU, DISCUTIENDA,
in almâ Monspeliensium Medicorum
Academiâ. Ab horâ 8. ad merid.

Die Februarii 1713.


P R E S I D E

D. D. PETRO RIDEUX
Professore Regio sapientissimo.

UB HAC VERBORUM SERIE;

*in victus Ratione præpediri possit generatio
Calculi.*

nam propugnabit pro primâ apollinari Laureâ
consequendâ in Augustissimo Monspeliensis
Apollinis fano honoratus Perrin Carcensis
Artium Liberalium Magister & jamdudum
Medicinæ Studiosus.



MONSPELII, Apud HONORATUM PEGE
Regis, Universitatis, Cleri & Urbis
Thypographum, 1713.

DEO

OPTIMO MAXIMO

DISPUTATURI PROFESSORES

| | |
|----------------------------------------------------------|----------------------------------------|
| R. D. F. Chicoyneau, <i>Cancellarius & Judex.</i> | R. D. J. Chastelain <i>Decanus.</i> |
| R. D. Joannes Bezac. | R. D. Petrus Chirac |
| R. D. Antonius Deidier | R. D. A. Magnol. |

Doctores Aggregati.

| | |
|------------------------------------------------|----------------------------|
| R. D. Joannes H. Haguenot. | M. Mauritius Pelerin |
| | M. Eustachius Marco |
| | M. Antonius Fizes |
| R. D. H. Haguenot, <i>Patris Coadjutor.</i> | M. Bartholomæus Pascal. |



QUÆSTIO MEDICA EAQUE

THERAPEUTICA

AN

Victus ratione præpediri possit generatio calculi.

VARIIS Opinionibus quas protulerunt auctores circa generationem Calculi, Argumentisque futilibus & incertis, quibus illas fulciebant, permotus; Curiosis oculis texturam renum perlustravi, eâ mente explorandi; num in eorum structurâ reperiretur matrix calculi generationi accomodata. Sic, si saltem inquisitio nostra, necvana, nec inutilis evadat; ad calculi generationem non indigebimus, nec lapidificâ illâ virtute a veteribus adeò decantatâ, quæ solo obscuritatis nomine jamdudum exulavit; nec analysi chymicâ, ad quam recurrunt neoterici, ut calculi generationem possint enodare; quippè exploratis seorsim partibus istum compigentibus, perspectisque earum mole & figurâ, elucebit equidem natura partium, quæ illius composi-

tionem ingrediuntur, minimè modus illius generationis.

Si Calculus renum, lapillorum qui in variis partibus excitantur, naturam & soliditatem redoleret; lubenter simplici concretioni assentiret, sed soliditas, pondus & nucleus, quibus singulariter pollet calculus renum, exposcit necessariò quendam conformationem in renibus quæ vicem torcularis gerens intimiorem illum contactum quem patiuntur calculi principia, producat.

Acceptum a physicis & geometris intimum contactum partium corporum producere eorum soliditatem; & prout ille contactus erit major vel minor, soliditas corporis major vel minor erit; ex his deduci debet, cæteris paribus, majorem esse eorum corporum consistentiam & stabilitatem, quæ ex minoribus partibus sunt compacta; etenim minores particule, molis ratione, majore contactu uniuuntur, quàm majores; quia globulo cujus diameter est unius lineæ; tot in ambitu applicari possunt globi ejusdem magnitudinis præcisè quot possunt applicari globi diametri pedalis globo, cujus etiam diameter est unius pedis. Sic proportio non servatur, nec respectu massæ, nec respectu superficiei; & cum soliditas corporum non solum ex contactu partium suarum immediato, sed etiam ex pressione corporum externorum pendeat; ea minor erit in majoribus, quàm in minoribus, cum illorum superficies, respectu massæ, sint minores. Sic, si contendatis disponere partes ad contactum per infinita puncta, dividatis eas in minutissimas particulas, & optatum obtinebitis; Cum in divisione Corporum, ut perfectè constet in geom.

triã, eorum moles multò magis imminuatur, quàm eorum superficies, & cum corpora se se mutuò tangant superficiebus; Sequetur quod minora corpora majores superficies obtinebunt, respectu molis, quàm majora: Sic cæteris paribus, moles minorum corporum numerosioribus punctis sibi mutuo adhærebunt, quàm majorum, & consequentè corpora solidiora constituent. Jam structuram renum aggrediamur & rimemur, quâ facultate principia Calculi adeò intimè uniantur inter se, ut efforment nucleum Corpus durissimum.

Minimè superficiei externæ hærens, asseram, me observasse vascula urinosa velut tot radios oriri ex superficiei renum, & desinere in evidentes & distinctas papillas, quæ in pelvim protuberantes hiant; Hæc vasa sunt Carnea, solida & compacta, transmittuntur per arcus, quos efformant ramificationes arteriarum & venarum; ita ut hi arcus, vas utinosum, & illius expansionem scilicet, papillam amplectantur. In extremitate papillæ adest foramen hians in pelvim, & cum Comprimitur papilla, ex illo unico foramine stillat urina; Saltem ex meâ observatione, licet quàm plurimi asserant, ex compressione papillæ stillare urinam ex sexcentis punctis in extremitate papillæ disseminatis; unde supponunt illi infinita puncta, ex quibus egreditur urina, nihil aliud esse quàm extremitates vasorum urinosorum, quæ papillam efformant, quo posito: Si esset verum, nullum castellum, nullum emporium si ita loqui liceat, in papillæ corpore admitteretur. Sed etiam si experienciã clarè

& apertè constarent illa infinita puncta , non sequeretur inde , eorum suppositionem admittendi necessitas , cum illa infinita puncta cum papillâ cavernosâ coexistere possint , quid impedit enim , extremitatem papillæ instar cribri perforatam ex infinitis punctis , urinam in pelvim effundere ; Sed cum ille numerus fontium urinosorum , ex unicâ papillâ à nobis exactè observantibus , minimè perspectus fuerit , & è contra unicus fons saliens ex quâlibet papillâ observatus ; asserimus papillam esse cavernosam , illusquè corpus efformari ex expansionibus quamplurimum vasorum urinosorum , quæ effundunt urinam in cavitatem communem , scilicet in cavitatem papillæ, in extremitate cujus adest unicum foramen munitum sphinctere quodam propriis fibris Corporis papillæ excitato.

Materia calculi unâ cum urina devehitur ad vasa urinosa & ad cavitatem papillæ , indeque in pelvim , tandemque per uretheres ad vesicam : Sed quandoque evenit , ut materia illa crassa & tartarea foramen papillæ adire nequeat , Sed hæret in ipsius cavitate , ad quam cum continuo adveniat urina iisdem materiis , onusta , prætermodum membranæ cavitatem efformantes distenduntur , laceranturque contentorum scabritie ; inde dolor , inde major affluxus spirituum in harum membranarum fibras musculosas istarumque validæ contractiones. Hæ fibræ non possunt contrahi ; quin agant in materiam calculosam , eamque atterant , quarum actioni opitulatur alia vis , extranea quidem , Sed proxima : arcus enim , quos efformant arteriæ &

venæ huic operi maximè conferunt suo motu proprio systolis & dyastolis. Satis superque est harum virium ad ulteriorem materiæ calculosæ divisionem promovendam; quod unicum sufficit, ut disponantur corpora ad intimiorem contractum, à quo pendet eorum firmitas & soliditas.

Sed objiciet aliquis, cur materia, quæ præ crassitie suâ papillæ meatum adire non poterat, post sui divisionem non eliminetur, cum illius vires expultrices tunc validiùs agant. Respondeo quòd eodem modo^{quo}, in maximis irritationibus, quas patiuntur vesica urinaria, & rectum contenta expellere nequeunt; Sic paritèr papilla contentum suum nequit propellere; Sphincteres enim earum partium, quibus præcluduntur exitus, iisdem fibris partis efformantur, & cum illæ fibræ, licet sub minori volumine ibi redigantur non minori vi polleant, & e contra majori, juxta adagium; nec mirum, si tempore, quo contrahuntur fibræ corporis papillæ, contrahatur ipsius sphincter, unde ex omni parte materia contenta propellitur æqualiter à circumferentiâ, ad centrum, quâ pressione producit corpus durissimum scilicet nucleus.

Generatus calculus in cavitate papillæ hæret nisi accessu novæ materiæ calculosæ adeo cresceret, ut prætermodùm membranas ipsius papillæ distenderet; Sed à nimia illa distensione tollitur elater earum membranarum, unde facultate contractivâ orbantur; comprimuntur prætereà vasa in earum substantiâ sparsa, unde illæ membrænæ à succo nutritio & aliis humoribus

ex compressione ductuum minimè irrigatæ marcescunt, exsiccantur & disrumpuntur, & pariratione, quâ fructus maturi ex arbore exsiccantâ capsulâ illos involventi decidunt, elabitur calculus in pelvim; indeque per uretheres in vesicam, ubi incrementum suscipit accessu materierum tartarearum, quas secum continuò vehit urina, & eodem modo iis materiis incrustatur calculus, quo semina coriandri, fæniculi saccharo incrustantur.

Inde cum fernelio contendimus in vesicâ nullum calculum generari primariò, sed omnes rudimentum accepisse in renibus, cum quantitas & motus urinæ in vesicâ contentæ illius generationi obstet; cumque præterea intervalla unius mictionis ad aliam non sufficerent, ad efformandum calculum, qui præ crassitie suâ tam brevi tempore acquisitâ; collum vesicæ permeare non posset.

Nec mirum si inter diros affectus, qui in humanum corpus sæviunt, enumeretur calculus definiaturque corpus durum, rarò læve, plerumque asperum ex materiis tartareis in renibus genitum obstructionem, distensionem, & lacerationem pariens.

Causæ calculi aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Ad externa reducuntur illa omnia, quæ uberiores tartari proventus sanguini suppeditare valent: qualia sunt vinum prætermodùm crassum, carnes salitæ & fumo induratæ, alimenta terestria, metus & tristitia, aliæque res non naturales: Ad interna verò massæ sanguinæ Crasis renumque constitutio scilicet tu-

bulorum laxitas & papillarum exituum angustia, laxati tubuli partes admittunt, angustatae papillae in exitu eas retinent, & in his dispositio hæreditaria.

Pro majori calculorum mole, scabritie vel inæqualitate eorum superficiei dolores excitantur, exquisitiores in ureteribus, quàm in renibus, ob plures quibus donantur nervorum propages, per sentiuntur. Dolor fit gravativus, hærente calculo, laxatis renibus à sero vel humoribus stagnantibus: lancinans à calculorum angulis latera papillarum prætermodùm tenia impetentibus; dilacerantur renes & uretheres ab inæquali calculorum superficie.

A distentis uretheribus distrahuntur vasa deferentia illos transcendunt, proindeque testes ipsis annexi superius adducuntur. Torpent femur & crura à compressis nervis iis prospicientibus.

Supprimitur urina vel ex toto vel ex parte, prout ipsius comineatus magis vel minùs à calculo obstruitur: Si lotium in sanguine retentum, affectus soporosus, modò hydropem inducit; quandoque per glandulas cutaneas sub formâ sudoris erumpit aliquandò pro ratione analogiæ secretum cum fermento stomachali vel intestinali nauseam, vomitum, dejectiones per anum & Colicas provocat: nonnumquam urinae sunt purulentæ, quoniam à Calculo dilacerante fit abcessus vel ulcus, fiunt sanguinolentæ à ruptis vasis vel erosio sanguiferis. Sed immensum foret sigillatim recensere, recensitis tamen patet illius diagnosi.

Prognosis periculi plena est, quia supprimitur urina, ex urinæ suppressione, ut ait hypocrates; nisi ante septimum diem minxerint, pereunt.

Ad Curationem hujus affectus promovendam, varia prorsus usurpanda venit therapeja, pluribus enim succurrendum inflammationi, mictioni suppressæ, doloribus atrocissimis, lipothimiæ, aliis gravibus symptomatibus; unde modò evacuantia, discutientia, diaphoretica, spirituosà; roborantia, diuretica calida & frigida, emollientia, narcotica, anodyna usurpanda veniunt: in vesicam autem si calculus illapsus sit, ad lithotomiam deveniendum est. At ut his omnibus non indigeamus, occurrendum calculi genesi; per debitam victûs rationem, opè cujus laudabilis sanguinis fluiditas, debitusque partium tonus Conservatur.

ERGO Jurè Concludo

*Victûs ratione præpediri potest Generatio
Calculi.*

